


**05**  
**A**  
**1849**





B  
W





Q. B. V. D.  
EXERCITATIO PHILOLOGICA,  
DE  
SOLOECISMIS  
ET BARBARISMIS GRÆCÆ  
NOVI FOEDERIS DICTIO-  
NI FALSO TRIBUTIS,

*Quâ imprimis*  
D. PAULI dictum I. CORINTH. XIII. 4.

*Ἡ ἀγάπη ἔσπευεταί,*

*Examinatur,*

PRÆSIDE

BALTHASARESTOLBERGIO,

Græcar. Literar. Profes. Publico,

*Publico Examine proposita*

â

RESPONDENTE

VVOLFGANGO PHILIPPO ERNESTO,

Pappenheimensi.

IN AUDITORIO MAJORI,

Die XXIV. Septembr. Anno CHRISTI M.DC.LXXXI.

WITTEBERGÆ Typis JOHANNIS SIGIMUNDI Ziegenbeins.



EXERCITATIO PHILOLOGICA  
DE  
SOLFOLGISMIS  
ET BARBARISMIS GRÆCÆ

NOVI FREDERICI DICTIO  
IN FALSO TERTIUM

D. PAULI



BALTHASAR ESTOLBERGIO

9481 / A 50

AVOLTGANCO PHILIPPO EMASIO  
Pappenhagens

IN ACADEMIA S. MARCI  
DIE XXIV. SEPTEMBER. ANNO CHRISTI MDCCLXXI.  
JOHANNIS SIGMUNDI BINGHAMII






**I**ngenii dotes monstrans Erneſte, ſacratam  
Scripturam à vitiis immunem ritè tueris.

Adſit, cuius agi laudem conſtat, Benedictus  
Terſanctus Jehova, tibi quò gratia ſemper,  
Gloria ſed Domino cedat, fructusq; ſequatur  
Optatus patriæ, & Patronis. Faxit **JESUS!**

F.

ABRAHAM CALOVIUS D.



PRÆSTANTISSIMÆ DOCTISSIMÆQVE

DN. VVOLEGGANGE PHILIPPE ERNESTE,

*Amice honoratiſſime.*

**C**um duo ſint omnino, unde vocum ſignificationes cogno-  
ſcamus, Origo earundem & ſcriptorum Uſus: ſimul in-  
telligimus, profanorum autorum lectionem, neq; inuti-  
lem eſſe, neq; jure prohiberi. Quod olim factum novi-  
mus, cum inter Concilii Carthaginenſis IV. decreta & hoc le-  
gimus: Episcopus Gentilium libros non legat. Ipſe Hierony-  
mus ad Eutochium, Virginem nobilem ſcribens, narrat ſe, quod  
ſecularium literarum libros ſtudioſius legeret, protractum fuiſ-  
ſe ad tribunal Domini, ibiq; acriter caſum, acerbas ejus pec-  
cati pœnas dediffe. Verum ex aliis Doctiſſimi Patris ſcriptis  
diſcimus, merum fuiſſe ſomnium, quibus credendum eſſe ne-  
gat, atq; queritur, ubi cum Ruſſino diſceptat, ſomnii ſponſio-  
nem à ſe injuriâ exigi. Nimirum hic fuit priſcorum Docto-  
rum mos, ut cum admodum eſſent diſerti, propterea non ra-  
rò fierent obſcuri, quandoquidem hyperbolis crebrè utuntur,  
& alium longè ſenſum ſub rhetoricis ornamentis tegunt, quàm  
qui primà fronte apparet. Eſſi autem veteres ſuas habuerunt  
cauſas,



causas, quare cuius & sine discrimine paganorum monumen-  
torum tractationem permittere nollent; illæ tamen nihil atti-  
nent legitimum hujus studii usum. Nam & Mosem laudat Ste-  
phanus *πρωτομάρτυρ*, quod omnem Ægyptiorum doctrinam cal-  
luerit; & Paulum Græcarum literarum apprimè gnarum fuisse,  
ac profanorum Poetas evolvisse, luculentè probant, quæ ex  
ipsis nec unò locò allegat. Ipsi Patres hanc diligentiam com-  
mendant, inprimis Gregorius Nyssenus, cum Mosi vitam de-  
scribit. Et quid idem efficit aliud, cum negat Paulum com-  
munem observasse consuetudinem in vocum notionibus, quàm  
ut Lectorem exstimulet ad instituendam collationem extero-  
rum scriptorum cum sacris? Quod cum & Tibi placeat, PRÆ-  
STANTISSIME DN. ERNESTE, nihil facis, quod vel inutile,  
vel iniustum sit. Imò si diligenter perrexeris in hoc studio &  
studio, quod omninò facis seriò ac sedulò, non solum volun-  
tati laudatissimæ Optimorum Patronorum satisfacies? sed ipse  
quoq; fructus capies operæ jucundissimos, ac Te parabis matu-  
rè, quò in posterum Literariæ Reipublicæ usui esse queas atq;  
ornament. Quod ut fiat, ex animo opto.

PRÆSES.





I. N. 7.

# De Solocicismis & Barbarismis

## CAPIT XXV.

I. CORINTH. XIII. 4.

Ἡ ἀγάπη & περιεργεύεται.

§. 1.

**E**tsi multa sunt & varia, quæ de Cilicis Pauli superiori disputatione differui; nondum tamen expeditum planè confectumq; negotium videtur. Etenim Cl. Salmasius non tæetur solùm Cilicis, verum adauget numerum, additq; Hieronymianis illis verbum Περιεργεύεται, quod ab eadem Dialecto Apostolum mutuatum esse affirmat. Equidem meminimus B. Hieronymum asserere, plura extare, quibus juxta morem urbis ac provinciae familiaris usus sit Paulus: sed cum nusquam ea percensuerit, unde potuerunt cognosci à Salmasio? Sic tamen de hoc vocabulò tradidisse Veteres, vult persuadere Commentario de Lingvâ Hellenisticâ (α). Et in Funere ejusdem (β) scribit: *Atqui Cilicis in Paulò notârunt Veteres, ut in verbo περιεργεύεται, quò utitur, proprio Cilicum dialecti.* Mihi Patres illi ignoti sunt, neq; arbitror Salmasium novisse, nisi digitum animumque intenderit in ea Gregorii Nysseni, quæ leguntur Oratione peculiari de dicto Apostoli (γ): *Τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγῆσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα.* Solet enim sapientia magni Pauli ad id, quod visum fuerit, ad arbitrium suum verbis uti, etiam si ad alios quosdam intellectus consuetudo abusum dictionum trahat. Nam unde sumsi usum verbi ἐκένωσεν; & illud: *gloriationem meam nemo inanem reddet, itemq; Inanis facta est fides, & Ne inanis reddatur crux Christi? Ex quò usu hæc ad suum traduxit sermonem? Quis item judicabit*

(α) p. 264

(β) p. 152.

(γ) 1. Cor. XV. 28.

A

en 130



eam, quod dixerit *ἡμετέρας ἀγάπης* per quam dictionem, dilectio-  
nis habitum & affectum ostendit? *Quomodo per dictionem μὴ  
περὶ ἐπεύου* *ἰαυ*, charitatem à superbiâ vacuam demonstrat? Studi-  
um item contentionis & ulciscendi cupiditas, quò pacto per ver-  
bum *ἐπιφείας*, ab eo significatur? *Quum* perspicuum sit omnibus,  
quod *ἡ ἐπιφείας* i. e. lanificio, ἢ *ἐπίφρος*, id est, ancilla pro-  
priè quæ lanam tractat, ex ipsâ scripturâ nominatur: atq; exer-  
citiū & studium lanæ, nomine *ἐπιφείας* significare solemus.  
Attamen omīssis frigidis etymologiis, quibus verbis ei visum est,  
animi sui conceptum exprimit atq; exponit. Etenim multa quo-  
que alia, qui diligenter scrutatus fuerit, in scriptis Pauli depre-  
henderit, quæ non serviant usui consueto: sed quæ per propriam  
quandam considerationem ab eo, consuetudinem nihil curante, pro  
arbitrio proferuntur.

§. 1. Non negat Nyssenius, verba illa fuisse inter græcos  
usitata & trita; quod Beza putat in h. l. sed cum in communi  
consuetudine, ac quotidiano vulgi sermone, aliam haberent vim  
& potestatem, ab Apostolo translata illa statuit ad usus propri-  
os, Græcis insolitos & insuetos. Quod nos de nonnullis, cer-  
tâ tamen ratione ac modò, haud inviti largimur. Nimirum ut  
reliquis gentibus profanis, sic & græcis antehac divina myste-  
ria fuerunt incognita. Voluit autem Spiritus S. in iis patefa-  
ciendis horum uti linguâ, tanquam communissimâ ac præstan-  
tissimâ, illiusq; dialecti voces & phrasas, à rebus actionibusq; hu-  
manis & vulgaribus, traducere & accommodare ad sensus divi-  
nos sublimissimos explicandos & docendos. Jam & humanæ  
disciplinæ suas habent notiones & voces peculiare, quibus res  
sibi proprias sensaq; mentis declarant & indicant. Et ipsi in-  
super Græcorum Philosophi, quemadmodum familiis & sectis  
discrepant, sic vocabulis iisdem, differentes haud rarò diversas-  
que significationes imposuerunt. Quod imprimis verum est de  
Stoicis, qui cum à Peripateticis & Academicis omnia transtu-  
lissent, nominibus aliis easdem res tradiderunt. Etiam in va-  
nâ illâ ac putidâ Theologiâ, quam sibi commenti sunt Græci,  
pervulgatis tritisq; utuntur verbis, sed quibus notiones alias,  
figmentis illis convenientes, indiderunt. Quid mirum, si & scri-  
ptura



ptura sacra Christianæ Theologiæ Principium, multa continet  
vocabula huic arti propria. Quæ licet quoad primam ac pro-  
priam significationem, è communi usu græcè loquentium sint pe-  
tita, tamen ratione sacræ, & ad certum idemque mysticum ar-  
gumentum relatæ ac determinatæ notionis, non possunt nec  
debent aliunde intelligi aut explicari, quàm ex hâc ipsâ arte,  
in quâ adhibentur.

Quod verò eò modò novæ significationes inditæ sint voca-  
bulis græcis, quem Drusius primum, deinde Heinsius, Vorstius,  
alii aperierunt, illis potissimum, quæ habent sensum rerum vul-  
garium, & nihil attinent proprias Christianæ religionis notiones,  
non solum destituitur autoritate Veterum, sed quoque repugnat  
experientiæ, ac planè caret ratione. Bene Cotterius, cum di-  
xisset, nullam vel minimam rationem dari posse, quamobrem  
Spiritus Sanctus volens uti lingvâ aliquâ, lingvam illam corru-  
perit, illiq; novam aliam lingvam inseruerit: quærit, *An igitur  
nihil prorsus novi in scripturis græcis, & in ipsâ dictione?* ac re-  
spondet: *Certè in his aliquid novi. Ita enim conveniebat: sed  
quod ejusmodi est, ut lingvam non mutet. Congruebat enim Spi-  
ritum Sanctum utentem locutionibus nostris, sua etiam loqui. Ve-  
rum distat illa toto genere à nostrâ, eam ut non inturbet. En  
benigne lector, phrases, voces, & vocum novas significationes, in  
contextibus sacris, tum Græcis, tum etiam Hebraicis, citra ullum  
lingvæ, quâ conscripti sunt, detrimentum. Xdeus pro Dei affe-  
ctu benevolo condonante peccata: item, pro quovis dono, quod ab  
illo affectu Lux de Christo usurpata: Caro pro naturâ corruptâ,  
cui opponitur Spiritus. Ecclesia de cœtu sanctorum, vetus homo  
& novus, carnem crucifigere, sepeliri cum Christo in baptismo,  
Paradisus, de celo, Abyssus de inferno. Apostolus, Evangelista,  
Episcopus, Pastor, Diaconus. Hæc omnia, totq; alia, novâ si-  
gnificatione veniunt, neq; tamen lingvam mutant: tantum adhi-  
bentur rebus novis, iisq; analogis significandis. Hactenus Cot-  
terius. Nimirum vocabula jam ante usurpata, ad novas res  
designandas transferre, in omnibus lingvis licuit. Itaq; nemo  
dixit, Stoicos aut Peripateticos novam procreâsse dialectum,  
cum multa è communi consuetudine ad suarum disciplinarum  
terminata explananda traduxerunt.*



(δ) Philipp.  
II. 7.  
[ε] 1. Cor.  
IX. 15.  
(ζ) Rom.  
IV. 14.  
(η) 1. Cor. I.  
17.

§. 3. In his, quæ Gregorius proponit, non est par ratio. Christi κένωσις (δ) utiq; arcanum est, Græcis prius inauditum, novum & inusitatum. Quando autem κένωσις dicitur κενώ-  
σαι (ε), quando ἡ πίστις, (ζ) & ὁ σωτὴς τῆς χεῖρὸς (η), nihil ad-  
modum in verbō animadvertimus, quod alienum videri credive  
possit, à communi græcè loquentium more. Κενός, unde κενόω,  
propriè significat vacuum, inanem, & opponitur pleno: post me-  
taphoricè usurpatur pro vano & inutili, qui frustra est, nec ha-  
bet efficacitatem. Hesychius, Κενός, τὸ κενώθῃν, μάταιον. Κε-  
νόν, ἀπρακτόν. Κενά, ἀπόκενα, ἀκυρα. Κενώθῃ, μάταιος ἀπο-  
φανθῃ. Eò quidem sensu, quò Christus perhibetur εἰαυτὸν κε-  
νώσαι, cum se abdicavit usu majestatis plenario, perpetuò & u-  
niversali, non possessione, nusquam reperitur; vulgaris tamen  
potestas verbi talis est, quæ non incommodè transferri possit  
ad illud mysterium describendum. Habent enim verba pleraq;  
significationes generales, communes ac indeterminatas, tum ra-  
tione objecti, tum modi, e. g. ζῆτέω, τύπτω, quodvis, quò-  
vis modò: quæ deinde ex ipsarum rerum, de quibus in sermone  
adhibentur, naturâ, conditionibusq; propriis determinantur.  
Sunt porrò in re significatâ plura, quàm in voce significante. Ἀν-  
θρώπος hominem notat: in homine multa sunt, quæ non sunt in  
voce sive signo. Sic hedera significat prætereuntibus cerevisiam  
venalem, bona sit an corrupta, non designat. Etsi itaque cum  
nomina tum verba, statim à principiò certæ cujusdam rei sive  
actionis significationē acceperunt, non tamen ideò omnia simul  
istarum rerum attributa & proprietates, vel actionum etiam mo-  
dos, objecta, aliasq; circumstantias involvunt. Si quæ talia sunt,  
ea sunt pauca, nec illam semper retinent notionem, quam prin-  
cipiò impetrârunt.

§. 4. In ἰμείρομαι & ἰμερῶς, unde illud natum, Grotius ni-  
hil invenit insoliti, nihil novi. Ponuntur non tantum de de-  
siderio, sed & de amore. In eò fallitur, quod Poetica credit,  
quæ æquè frequentantur μεζογυράρις ac Ποιῆς. Et quid tan-  
dem inusitati, quid insveti habet ὀποτάσσω, si vera sit & reti-  
nenda Nysseni interpretatio? Filium intelligit non ratione Perso-  
næ propriæ, sed corporis mystici, quod est Ecclesia. *Qua Filii  
dicitur*



dicitur subiectio, per nos fit, quippe cum ea, quæ in corpore ipsius perfecta fuerit, subiectio ad eum referatur, qui in nobis gratiam subiectionis effecit. Et paulò post: Quum igitur per omnia bonum permeaverit, tunc totum corpus eius subicitur vivificæ potestati: atq; ita huius corporis subiectio, ipsius Feliæ dicitur esse subiectio, qui cum suo corpore, quod est Ecclesia, contemperatus est. Hanc subiectionem, quæ fit Deo, rem dicit bonam & honestam, utilem ac salutarem, quâ res subiectæ conservantur, non perduntur. Quoniam igitur demonstratum est, rem & honestam & bonam esse subiectionem: hoc quoq; bonum prorsus illius est, unde omnis boni natura proficiscitur: Ac deinde: Sic igitur in hoc quoq; loco subiectionis significatum, alio sensu præter communes intellectus, à Paulo accipitur. Idq; hinc demonstrari potest, quod neq; in hoc loco subiectio inimicorum, quorum mentionem fecit, coactum quid & non voluntarium in se habet, quemadmodum dixerint hi, qui consuetudini serviunt; sed aperte per verbum subiectionis in ipsis salus declaratur. Habemus jam, quod tantopere sollicitat angitq; Doctorem celeberrimum. Existimat τὸ ὑποτάσσειν de iis tantum dici in communi usu, qui ab hostibus superati, inviti & coacti subiciuntur ad suam perniciem. Dicimus igitur (haud procul in iustia scribit) quod significatum subiectionis in iis quidem, qui vi eorum, qui bello superiores fuerint, subacti sunt, invitos & coactos succubuisse, ac sese submittere victoribus ostendat. Paulò inferius: Ea autem subiectio, quâ nos Deo obnoxii efficiuntur, salutem propositam habet. Simplex verbum est τὰσσω, proprie ordino, certò ordine colloco ac dispono. ὑποτάσσω, sub alio, post alium, secundum ordinem colloco, alteri subicio. Postea transfertur ad potestatem, quâ alter alteri subest, quòcumque id fiat modò. Habet itaq; locum inter quemvis superiorem & inferiorem, majorem & minorem, magistratum & subditos, dominos & servos, parentes & liberos, senes & juvenes. Præterea passivè sumitur & reciprocè, subjici & submittere se. Quæ omnia si conferantur cum Nysseni interpretatione, apparebit, nihil à Paulò pro arbitrio scriptum, nec consuetudinem neglectam esse. Quid enim vetat Deo dicere ὑποτάσσειν illos, qui cum aliquando ejus fuissent inimici, nunc per Chri-



stum eidem reconciliati, & ab omni potestate atque imperio ma-  
 li liberati & exempti, ipsi soli subjiciuntur, ejusque voluntati non  
 inviti, sed libentes obediunt & parent? Accidere sanè potest, ut  
 subjectio conjuncta sit cum pernicie: fieri etiam potest, ut sit fru-  
 ctuosa, & cedat in emolumentum subjecti. Hi effectus vel even-  
 tus non involvuntur in vocabuli notione propriâ, sed conse-  
 quuntur è re, atque usu eveniunt, prout incidunt casus vel tem-  
 pora. Nec omnis subjectio est coacta ac violenta, quædam libe-  
 ra est & voluntaria: utraqve hoc verbò exprimitur, neque ta-  
 men ex ipsò intelligitur, verum ex naturâ eorum, quæ facta alicu-  
 bi descripta leguntur. Philippus Macedoniae Rex, referente Dio-  
 doro libro decimo sexto (7), ducto adversus Chalcidicas urbes  
 exercitu, Giram castellum expugnatum diruit, reliqua oppida  
 timore perculsa ἠνάγκασεν ὑποτάττεισθαι, coegit se submittere.  
 Contra prodidit de Protagora Salaminis Rege (1): ὁ δὲ πρῶτα-  
 γόρος ἐκείνως ὑποταγὴς τοῖς Πέρσiais, τὸ λοιπὸν ἀδελῶς ἐβα-  
 σίλευε τῆς Σαλαμῖνος, Protagoras autem sponte se submittens Per-  
 sis, in posterum securè regnavit. Hoc consilium placuit & Græ-  
 cis in Sicilia urbibus, quæ ἀπασαί πρὸς Τίμολεον ὑπετάγησαν τῷ Τι-  
 μόλεοντι, διὰ τὸ πᾶσαι τὰς αὐτονομίας ἀποδιδόναι, universæ  
 alacri promptoque animo se submitterunt Timoleonti, eò quod omni-  
 bus redderet libertatem, permetteretque suis vivere legibus (κ).  
 Atque ita crebrò idem Historicus. Quemadmodum id verbi ad-  
 mittit τὸν ἀναγκασμὸν, sic neque averfatur τὸ ἐκείσιν, τὸ πρὸς-  
 θυμον, & sæpe salutarem effectum secum trahit. Annon in  
 omni civili societate, quæ ex iis, qui imperant, & qui sub im-  
 perio sunt, constat, finis est τὸ συμφέρον sive utilitas? Quare  
 non pugnant semper salus & ὑποταγή, nec altera alteram exclu-  
 dit aut prohibet. Quamquam Nysseni explanatio nondum omni-  
 bus probata est: de quâ plenius agere, mei nunc muneris non  
 est.

§. 5. Bina restant, quæ majorem habent difficultatem, περὶ  
 πρῶτον & ἐπιφάνεια. In priori duo rimanda sunt, origo atque vis &  
 significatio. Quale hoc sit verbum, apertè & ingenuè confitetur  
 Camerarius, se non posse de veterum usu indicare. Quin barba-  
 rum tamen crediderit, non sinunt nos dubitare verba ejus præce-  
 dentia;

[9] p. 538.

[1] p. 534.

[κ] l. 6. p.  
548.



dentia: Non est, inquit, querendum τὸ ἀκριβὲς (id est, exactum seu exquisitum) in scriptis Apostolorum, qui communi & notō sermone usi fuerunt, quem illis temporibus purum non fuisse constat. Quapropter pietas non offendetur iis, quæ vel βαρβαρίζειν vel σολοίζειν videbuntur. Si barbara hæc vox, quō nomine Græci reliquas omnes nationes & gentes designant, scrutandum porro, à quibus derivata illa sit ad Græcos. Latinam censuit Beza & Grotius. Incertus dubiusq; est Flacius, nec definire audet, utra mutuata sit ab alterâ, cum in utrâq; Lingvâ τὸ πέρπερον reperiat. Neq; hoc immeritò. Etsi enim Latina Græcæ veteri maximâ ex parte suam debet originem, tamen vicissim à Latinâ græca recentior non pauca accepit. Jam *Perperus*, unde procul dubio πέρπερον, legitur apud Accium Poetam antiquum in Pragmatico:

Describere in theatro perperos populares.

Ab eodem est *Perperitudo*. Idem Accius:

Et eo plectuntur Poetæ, quàm suo vitio sapius,

Ductabilitate nimiâ vestrâ aut perpetitudine.

Adverbium *Perperam* habet Plautus, habet & Cicero multis locis: usurpârunt alii. Et Salmasius in Imperatore Tacito Flavii Vopisci pro *Præperum*, quod Palatinus codex exhibet, restituit *Perperum*.

§. 6. Verum hæc nondum efficiunt, ut credam, Græcos accepisse à Latinis; quin planè mihi persuasum est, illud à Græcis ad Latinos propagatum esse. Nam quæ ab his receperunt Græci, temporibus Imperatorum data sunt, quos ætatè antecedit hujus vocabuli usus. Neq; obstat, quod rara ejus exempla cernantur in græcorum monumentis. Exoleverunt atq; interierunt voces prisca, atq; in iis complures, quæ manârunt ad Romanos. Πόρκον vocarunt antiqui, qui postea ὄς: ἔρον olim λῆν & aut λᾶν &: unde Latinorum Porcus & Lana. Multa observavit Varro, plura Grammatici & Glosographi, quæ nunc nusquam apparent. Et quædam priscorum exempla remansisse in dialecto communi, perquam probabile est. Adhæc ex ipsò Cicerone colligimus, græcum potius quàm Latinum censerì debere τὸ πέρπερον, quod eò uti maluit quàm vernaculò. Ego autem ipse, scribit ad

Atticum (λ), Dii boni, quomodo ἐνεπέρπερον σάμην novo Auditori: Pompejo! Grotius locum corruptum statuit, quod de alterâ lecti-

(λ) Lib. 1.  
Epist. 12.

one



one, ἀνεπερωγαράμην, facile concesserim; de nostrâ cur largiar,  
nulla me urget causa. Qui ἐνεπερωγαράμην restituant, nihil adhuc  
efficiunt.

§. 7. Erasmo vox conficta videtur à Perperis fratribus, quibus  
& Cercopes dicti sunt, quorum procacitas & improbitas etiam fabu-  
lis est nobilitata. Eum secuti sunt alii ex Interpretibus. Quod  
si rectè percipio mentem Doctissimorum Virorum, fratres no-  
bis comminiscuntur, qui propriò nomine Perperi sint appella-  
ti, & cum essent petulantes valde ac protervi, quilibet deinde  
pravus & improbus illorum similis, ob istam petulantiam Per-  
perus nominari consueverit. Hoc indicat Pareus: *Verbum, in-  
quit, graecum putant factum à Perperis fratribus, qui Cercopes  
(Cercopes) appellati sunt, homines tam insignis proterviae, ut ex  
eorum moribus verbum hoc obtinuerit.* Quâ in re nihil insoliti,  
si probari certò possit. Propria crebrò ponuntur pro commu-  
nibus, Curius pro homine frugi, Cato pro bono & prudente.  
Etiam verba tandem formantur, ut Graecari & Pergraecari.  
Puto tamen Perperi nomen fuisse prius, datumque fratrum illo-  
rum improbitati, non ab hâc attributum aliis. Suidas (μ):  
Δύο ἀδελφοὶ ἦσαν ἐπὶ γῆς, πᾶσαι ἀδικίαν ἐπιδεικνύμενοι, καὶ  
ἐλέγοντο Κέρκωπες, ἐκ τῆς τῶν ἔργων δεινότητος ἕτως ἐπωνομα-  
ζόμενοι. Ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν Πάσσαλος ἐγένετο, ὁ δὲ Ἀκμων.  
Duo fratres erant, omne flagitii genus / xercentes, ideoque Cer-  
copes ob factorum atrocitatem cognominabantur. Unus quidem  
fuit Passalus, alter Aemon. Eodem modo hæc fabula enarratur  
ab Eliâ Cretensi (ν). Quæ causa fuit, ut Κέρκωπες dice rentur,  
eadem effecit, ut περπέρων cognomine notarentur; si certum  
sit, sic fuisse cognominatos. Non enim memini me legere,  
præterquam apud Svidam in Μελαμπύγῃ τύχοις: Μελάμπυ-  
γοὶ δύο τινὲς ἀδελφοὶ ἐγένοντο πέρπεροι, Μεμνονίδος υἱοί.. Ubi  
nec opus est accipere ceu attributum proprium, cum possit esse  
epitheton commune; quemadmodum intellexit Portus, cum  
vertit: *Duo quidam fratres fuerunt improbi. Κέρκωψ* propriè  
est fera, ingentem habens caudam, teste Hesychio. Dubium  
autem an vulpes designetur, an Simiæ genus, quod à caudâ  
κερκοπίθηκος nominatur. Utique est de propriâ significatio-  
ne

(μ) In  
Κερκωπες.

(ν) Com-  
ment. in  
Orat. IV.  
Greg. No-  
zianz. p.  
508.



ne, per metaphoram κέρκωτες dicuntur homines versuti & fallaces. Hesychius, Κέρκωτες, ποικίλοι, πονηροί, πανουργοί. Κέρκωτων, δολίων, πονηρῶν, κακῶργων. Svidas, Κέρκωτες, πανουργοί, δόλιοι, ἀπατεῶνες, κόλακες, οἱ, καθάπερ ἡ ἀλώπηξ τῆς θηροτικῆς κύνες ἀπατᾷ, τῆς εὐλογίας φενακίζουσι τῶ κέρκω τῶν λόγων, *Versuti, dolosi, impostores, adulatores, qui instar vulpis, quæ venatorios canes decipit, simplicioribus imponit caudâ verborum.* Finguntur & populi κέρκωτες, qui à Jove ἰδιὰ τὴν κακοήθειαν conversi in simias, εἰς πιθήκων μορφῆς, Insulis Pithecusis dederunt nomen, uti legere est apud Eustathium (ξ). Quin & Diodorus (ο) latrones quosdam ac sceleratos homines prope Lydiam notat, quos appellari dicit Κέρκωτας, domitos ab Hercule, cum Omphalæ serviret. An idem valeat πέρπερος, non satis liquet: neq; placet diutius inhaerere fabulis.

(ξ) in ὁδ. τ.  
p. 1864.  
(ο) Lib. IV.  
p. 165.

§. 8. Pro Græco communi habet Vossius (π), ac dictum arbitratum quasi περφόρος, ἀπὸ τῆς περιφέρουσα, qui hinc illuc volitet, ac vento quolibet circumagatur. Quare tandem de usu ac significatione dispiciendum. Non consentiunt Græci cum Latinis. Nonius Perperum interpretatur *Indoctum, stultum, rudem, insulsum, mendacem*, & adducit Accii exempla. Sed Vossius negat, Nonianam interpretationem exprimere satis proprietatem vocis. Nec inter ipsos Græcos satis convenit. Hesychius, περπερεύεται, κατεπαίρεται, contra alium effertur. Πέρπερος, μετὰ βλακειᾶς ἐπαίρεσθαι. Βλακειᾶ ambiguum nomen. Alii vertunt *Cum mollitie: quidam, cum ignavia: nonnulli, stolidè se efferens.* Eodem modo Svidas, sed addit: οἷον λάλος, περπετεῖς, μηδὲν λογισμῶ ποιῶν, *qualis est loquax, præceps, nihil ratione agens.* Quæ cum priori non faciunt paria. Περπερεία eidem est ἡ κολακειᾶ, *adulatio.* Item, ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλωπισμὸν παραλαμβάνεται: ὃ καὶ ἡ βλακειᾶ καὶ περπέτεια. *Quod non propter necessitatem, sed propter ornatum assumitur, quod & mollietis & temeritas vocatur*, uti Portus explanat. Neque hæc satis congruunt; nisi Svidas velit, varia illa ac diversa unâ voce περπερείας designari. Locum Apostoli explicat, ὃ περπετεῖ, *non est præceps vel temeraria.* Glossaria à Labbæo collecta, Πέρπερος, *perperus, vanus.* Περπερεύομαι, *Perperam ago.* Perperam, ἐνα-

(π) Ety.  
mol. Ling.  
Lat.

B

μάρτως,



*αυδρτος, περπετος, καλως. Perperus, περπετος. Quod si  
 progredior ad sacrarum Literarum interpretes, major adhuc sen-  
 tentiarum varietas & dissimilitudo elucet. Syrus, ψαπσηνη,  
 non conturbatur, vel tumultuatur, id est, docente Lud. de Dieu,  
 oranquilli firmiq, animi est, qui non facile commoveatur, & ad tu-  
 multus seditionesve concitetur. Arabs secundum Junium, Nihil  
 improbe facit. At de Dieu, Non se barbarè gerit. Videtur, inquit,  
 significationem deduxisse ex pronuntiationis affinitate, que est in-  
 ter περπερεύειν & barbarum esse. Quod homini peregrino non im-  
 meritò condonamus, quandoquidem hoc verbum Græcis ipsis sat  
 acerbam crucem fixit. Nam ut Beza refert, alii exposuerunt,  
 Non adulator: alii, Non est præceps: alii, Non garrir: alii, Non  
 est levis & inconstans: alii, Non est fucata. Secunda est Chry-  
 sostomi, qui, & περπετεύεται. Probatur Suidæ, ut ex præce-  
 dentibus liquet; confirmatur Glosis antea laudatis, & ipsâ ety-  
 mologiâ roboratur, si sit ἀ περιπέρεσθαι, circumagi, temerè fer-  
 ri: quod adstruitur à Doctissimo Vosio. Itaq; περίπερος propriè  
 fuerit temerarius, levis, qui inconsideratè fertur. Charitas au-  
 tem nihil agit cum proximò temerè, nihil inconsideratè ac præ-  
 cipitanter. Qui Garrire interpretantur, hâc nituntur ratione,  
 quod περίπερος sit ὡς περ τοῖς λόγοις περιπερούμενος, & locutuleji  
 sermonum ambagibus molesti sint, observante Erasmo. Quod ar-  
 gumentum pertenuè, imò frivolum est. Quarta expositio, eò-  
 dem teste, est Theophylacti. Quinta maximè arridet Drusio (ρ),  
 quæ fuit olim Basilii Magni quæst. 49. inter breviores. Τί  
 ἐστὶ τὸ περιπερεύεσθαι; Πάν ὄμῃ δια χρείαν, ἀλλὰ δια καλ-  
 λωπισμὸν παραλαμβάνεται. Quæ supra è Suida adduximus.  
 Ante Basilium similiter Clemens Alexand. Περιπερεία, inquit,  
 ὁ καλλωπισμὸς, περιττότης καὶ ἀχρειότητος ἔχων ἐμφασιν  
 (σ), Cultus & ornatus redundans, superfluens & supervacaneus.  
 Herodianus de Antonino (τ), τὸ μὲν πρόσωπον καλλωπιζόμενος  
 περιεργότερον ἢ κατὰ γυναῖκα σώφρονα, componebat vultum ele-  
 gantius, quam probam decuisset fœminam. Quamobrem & Pa-  
 tres Concilii Nicæni II. cum Clericis vestibus preciosis interdi-  
 cunt, iisdem Basilii verba ob oculos ponunt, canone XVI.*

(ρ) Obser-  
 vat. Lib.  
 VII. c. 7.

(σ) Pedag.  
 lib. I. c. 1.  
 (τ) Lib. V.  
 c. 8.

§. 9. Sextam addimus ex Erasmo, eorum, quibus τὸ περ-  
 περεύε-



*περὶ τῆς ἑαυτοῦ ἐξουσίας* est extolli, & ostentare sese, quicquid *περὶ τῆς ἐξουσίας* dictum credunt quæ  
 si *περὶ τῆς ἐξουσίας*. Sic Nyssenius: *Quomodo per dictionem, μὴ περὶ τῆς ἐξουσίας*,  
*charitatem à superbiâ vacuum demonstrat?* Juvat eam Hesychius, asciscitq;  
 Heinsius. Fastus & elatio comitem habet ostentationem, quæ se in pri-  
 mis nimio cultu exerit. *Βλακεία* in verbis Hesychii & Suidæ, vel est osten-  
 tatio, vel ipse ornatus, quò se magnificè ostentant vani homines: non igna-  
 via aut mollities. Nam & Patres laudatò canone τὴν βλακείαν καὶ κόσ-  
 μισιν σώματος conjungunt ac vetant, & Balsamo λαμπρότερον ἱματισ-  
 μὸν βλακείαν καὶ ἀπερπείαν dici in istum locum tradit. Heinsius de  
 stoliditate explicat, atque duo vitia in *περπεία* propriè sic dicta concur-  
 rere, ait, τὴν βλακείαν, & quæ Aristoteli χαυνότης dicitur, stolidi nimirum  
 & timida superbia, inanis ventosaq; ambitio, quemadmodum posterius  
 declarari solet. Fesselius (v), *Revera est, inquit, jactare & ostentare se, &*  
*inanis gloriolæ fructum ex aliqua re aucupari.* Quemadmodum Strige- (v) *Adver-*  
 lius (φ) Ciceronis mentem expressit: *Me ostentavi, & quasi juveniliter* sac. Lib.  
*jactavi, omnibus adhibitis fucis & ornamentis orationi meæ, tanquam exul-* IV. c. 10.  
*tavi, & placere illi studui.* Vulgatus Latinus cum Glossis vertit. *Non agit* (φ) *Hy-*  
*perperam.* Similiter Beza, Piscator & B. noster Schmidius. At quid per- pomnem. i.  
*peram agere? qui data operâ, scribit Erasmus, secus agit quàm oportet.* Ideò b. l. Paul  
 Aquinas interpretatur *Perversè.* Cicero & Livius *Perperam & rectè* op-  
 ponunt. Aliter Beza: id est, inquit, *Nequiter sive insolenter.* Nequiter  
 & perperam conjunxit autor ad Herennium. *Insolenter* placuit Flacio.  
 Glossæ reddunt ὑβριστικῶς. Tales ὑβριστὰι fuisse perhibentur Fratres Per-  
 peri. Unde Erasmus habet *Procax, & Strigelius petulantiam atq; insidias*  
*in περπεία notat.* Imo jam olim Tertullianus (χ), *Non protervum sapit.*  
 Peculiaris est Grotius, qui simulationem intelligit, & sic à Græcis accipi (χ) *de pa-*  
 monet. *Dilectionis, scribit, mos non est is, qui ambitionis, aliud clau-* tients.  
*sum in pectore, aliud in lingua promptum habere.*

§. 10. Jam perquam difficile est in re obscurâ, è tam variis sententiis eli-  
 gere unam, quæ sit optima & verissima. Nec operosum minus probare no-  
 stram, quàm aliorum redarguere. Accedit antiquitas in nonnullis, ac sum-  
 morum Virorū autoritas, quibus vernacula fuit lingua Græca: quâ nec sper-  
 nere debemus temeritate quâdam, nec sine argumentis gravissimis convel-  
 lere possumus. Quæ Grotius de simulatione comminiscitur, nova sūt, Græ-  
 cis adhuc ignota, ad quos sine causâ provocat. Clemens sanè mentem suam  
 clarissimè & sermone expressit, à quò Grotius nequicquam juvatur. Perperi  
 Fratres unig Suidæ testimonio se efferunt, quanquàm non liquet, quale viti-



(ψ) cap.  
122.

(ω) p. 1483.

(α) Lib. III.  
82.

um indicârit, cum sic nominavit. Si Perperi iidem qui κέκωπες, verfu-  
tia notatur atq; dolus: quod ipse Suidas nescit, cum τῷ περπέρῃ vim &  
potestatem tradit. Et quæ de Adulatione attulit idem, cæteris ignoran-  
tur. Adverbii Latini notio generalior est, quam alienam ab hoc loco ar-  
bitror, in quò specialia duntaxat sive vitia sive virtutes commemorantur.  
Reliqua majoris sunt momenti & ponderis. Basilii explanatio ab ipsâ  
Synodò asciscitur: Chrysostomi in glossis confirmatur: Theophylacti ori-  
ginem habet patronam atq; vindicem. Jam verò, cum usus deficit atque  
exempla autorum, non superest aliud remedium Grammaticis, quàm τὸ  
ἔτυμον scrutari, primumq; investigare ortum. Bene tamen res habet, cum  
non omni omninò autoritate careamus. Extant scriptores Apostolo par-  
tim ætate posteriores, partim & priores, quos operæ precium fuerit evol-  
vere ac consulere. Polybius in Excerptis Legationibus (ψ) medium col-  
locat πέρπερον inter λάλον loquacem, & κατακορῆ odiosum, fastidium affe-  
rentem. φύσει δὲ ὢν λάλος καὶ πέρπερος καὶ κατακορῆς. Ut primum cum  
extremò idem haud valet, sic neq; medium cum extremis penitus conve-  
nire arbitror. In excerptis de Virtutibus & vitiis (ω), primum ponit τω-  
μύλον, nugatorem, deinde λάλον, tandem πέρπερον, & quidem διαφερόντως,  
excellenter. Κατὰ δὲ τὴν ἰδίαν φύσιν τωμύλος, καὶ λάλος, καὶ πέρπερος  
διαφερόντως. Unde licet magnam τῷ περπέρῃ καὶ λάλῳ cognationem &  
similitudinem concludere: etsi per omnia idem significare neutiquam cen-  
seo. Huc referendum illud Scholiastæ Sophoclis: Κομφῆς γὰρ ἔλεγον,  
ἧς ἡμεῖς περπέρῃς καὶ περιλάλῃς φαμέν. Plenius Moschopulus: Κομ-  
φοὶ παρὰ τοῖς παλαιοῖς, ἧς νῦν ἡμεῖς περπέρῃς καὶ περιλάλῃς φαμέν,  
καὶ κομφεύειν τὸ περριλάειν. Antiqui illi sunt Attici, quibus commu-  
nem dialectum, & vulgarem consuetudinem opponunt Grammatici. Est  
ergo πέρπερος nomen κοινὸν καὶ ἀνάττικον, qualis & Polybius scriptor &  
Arrianus. Etiam Suidas, πέρπερον facit λάλον, & cum eò jungit τὸν περ-  
πετῆν, quod argumento nobis est, præcipitantiam illam non ad actiones  
referri debere, verum ad sermonem & linguam. Nam & tales περπετεῖς.  
En Suidam ipsum: Περπετῆς, ὁ πρὸ γλωσσος, præceps linguæ: Περπέ-  
τεια, ἢ ἀχαλίνωτος γλῶσσα, infrænata lingua. Ambiguum proinde est,  
quæ mens fuerit Suidæ, cum in Apostoli dicto τὸ περπερεύεται explicat per  
τὸ περπέσει. Idem statuo de Chrysostomo. Quæcunq; apud ipsum le-  
guntur, æquè de præcipitantia in verbis, quàm factis accipi possunt. Di-  
stinctius intelligere est περπερείας vitium ex Arriani dissertationibus (α):  
Vistibi dicam, quem nobis monstraveris? ἀνθρώπον παρόντα ταπεινόν,  
μεμφή



μεμψιμοίεον, ὀξύθυμον, δειλόν, *Hominem qui prodeat humilis, querulus, iracundus, timidus.* Περιεῖ: πάντα μεμψόμενον, πᾶσιν ἐγκαλῶντα, μηδέποτε ἡσυχίαν ἄγοντα, πέρπερον. Ultimam vocem Jacobus Schegkii in versione neglexit, H. Wolffius *Depravatum* reddidit. *Omnia reprehensens, omnes accusans, nunquam quietus, depravatus.* Quasi dicat, ἀποὐ verbo Πέρπερον. Non sola hīc notatur garrulitas aut loquacitas, sed vitium simul garrulis familiare & consuetum, qui aliena semper curant, aliena sollicitè scrutantur, atq; audire cupiunt multa, ut multa habeant, quæ dicant, de quibus judicent, quæ reprehendant, exagitent, insectentur, damnent. Quæ omnia aliaq; copiosius & uberius exequitur Plutarchus (B). (B) *Lib. de garrulit.* Bene hæc congruunt cum membro antecedente, neq; repugnant his quæ sequuntur. Invidia plerumq; facit, ut rerum alienarum simus curiosi, de iis loquamur, calumniemur, obtretemus. Nam κομφοί, qui κοινῶς πέρπερον, sunt σκωπτικοί, τωφασαί, γελοιασαί, *irrisores, cavillatores, qui scommatis & dieteriis incessunt.* *Charitas non est dicax, non cavillatur.* *Rede nicht übel von den Leuten.*

§ II. Quod attinet Basilium M. nolo refragari, ejus ætate, etiam istâ, quâ Clemens claruit, πέρπερείαν & καλλωπισμὸν valuisse idem; sed non æquè assentior adstruentibus, illam vim habuisse & potestatem, cum scripsit Paulus: imò nec seculò proximè secuto habuisse autumo. Quæ causa est, cur imprimis sollicitus fuerim de illorum consuetudine, qui Apostolorum ævo fuerunt propiores. Neq; enim βλακεία eò sensu antiquioribus nota fuit, quò Patres Concilii VII. Oecumenici, quo Balsamo & alii usurparunt. Nempe mutationes, quæ in Lingvis successu temporis accidunt, non semper sunt τῆς ἑλγῆς ὀνόματος, cum totum vocabulum antiquatur & exolescit; verum etiam τῆς σημανομένης, cum priscis vocibus novæ inseruntur formæ, novæ significationes. Quod illâ ætate evenerat quam plurimis. Etymon, quò Theophylacti sententia fulciri videtur, dubium est: nec certius alterum, quod pro elatione & superbiâ affertur. Nolumus tamen ideò veterum autoritatem simpliciter rejicere, cum una vox plura sæpe habeat significata, ceu abunde testatur experientia. Atq; ostentandi notio non malè quadrat in locū Ciceronis. Veruntamen fastus & insolentia sequente commate melius indicatur, nec verisimile est, cum adeo concisis brevibusq; membris utatur, Paulum voluisse idem dicere.

## CAPUT XXVI.

Εὐθεία.

B 3

§. I.



**N**omen hoc Paulo usitatum ac familiare, in variis ejus Epistolis ad Romanos, Corinthios, Galatas, Philippenses exaratis legitur: aliâ verò significatione positum creditur à Nyssenò, quàm ferebat communis consuetudo. Est ab Ἐρθεύω, (ideo ἔρθεϊα, non εἰρθεϊα scribendum cum Aristotelis & quibusdam N. Fœderis editoribus) hoc ab ἔρθος: cui ratione originis, quæ multiplex ac diversa à Grammaticis traditur, diversæ etiam notiones tribuuntur. Cum ab ἔριον, lana, derivatur, designat ἔρθηρον, qui vel quæ lanam tractat, è lanâ opus conficit, textorem vel textricem. Suidas, Ἐρθος, ἔρθεϊα ἐργαζομένη. Sic Theocritus ἐιδ. XV. v. 80. Scholia: Ἐρθοὶ δὲ οἱ ὑπεργοὶ, ἠγαν, ἱερθεγοὶ. Restituendum ἔρθηργοὶ. Cum est ab ἔρα, terra, notat γεωργὸς agricolas: speciatim messorum, ut apud Homerum ἰλ. 6. vers. 550. 560. In quem locum Eustathius (α): Ἐρθοὶ δὲ, ἑμόνον αἱ ἔρθηργοὶ γυναικες ἐν ἄλλοις παρὰ τὸ ἔριον, ἀλλ' ἰδὲ καὶ οἱ μισθῶ ἐργαζόμενοι, ὡς οἱ ἀμνητῆρες ἐν ταῦθα, παρὰ τὴν ἔραν, ὡς δοκεῖ τοῖς παλαιοῖς. Adstipulatur Hesychius: Ἐρθοὶ, οἱ γεωργοὶ παρὰ τὸ τὴν ἔραν ἐργάζεσθαι; ἢ τίς ἐσι γῆ. Καταχρηστικῶς δὲ καὶ οἱ ἔρθηργοὶ, ἢ μισθωτοὶ. Cum aut, abusivè sic dici Lanificos, videtur prius etymon reprobare. Usus interim non est obscurus. Mox idem: Ἐρθηροισιν, ἐργάτας, γεωργοῖς. Nam & generatim quemvis operarium, mercenarium, famulum ac ministrum significat. Suidas: Ἐρθεϊα, μισθαρεία, quâ quis acceptâ mercede suam alicui locat operam. Συνέρθος, socius in opere, adiutor. Eustathius (β): Κυρίως ἢ συνεργαζομένη ἔριον, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἢ ἀπλῶς συνεργαζομένη. Hesychius: Συνέρθοι, συνουφάινισσαι, συνεργοὶ. Sic simplici usus Timôphilius (γ), κασιγνήτη καὶ ἔρθος, soror ἔσ' adiutrix. At cum ab ἔρις formatur, ἔρθεϊα contentio est, ἔρθεύω contendo. Suidas: Ἐρθεϊα, ἢ διὰ λόγων φιλονεικία. Ἐρθευόμενος, διὰ λόγων φιλονεικῶν.

(α) p. 1162,  
20.

(β) ὁδ. ζ.  
vers. 32. p.  
1550.

(γ) ap.  
Clem.  
Alex.

ἔρωμ. V.

§. 2. Jam quærit Nyssenus ac miratur, unde hoc didicerit Apostolus? *Studium item, inquit, contentionis ἔσ' ulciscendi cupiditas, quò pactò per verbum ἔρθεϊας ab eo significatur? Quum perspicuum sit omnibus, quod ἔξ ἔρθηγίας, lanificio, ἢ ἔρθος, ancilla propriè quæ lanam tractat, ex ipsâ scripturâ nominatur: atq; exercitium ἔσ' studium lana nomine ἔρθεϊας significare solemus? scilicet ex sui ævi consuetudine, universum omnium temporum usum æstimat & metitur. Non abnuo hanc vocem habuisse tum hanc unicam & solam vim & potestatem: verum perperam inde conficitur, non & aliam aliò tempore habere potuisse. Qui etymi rationem obvertunt, eamque novam atq; insolentem pronunciant, quod ab ἔρις, ἔριδος fiat ἔρθεύω, ἔρθεϊα*

ἔρθεϊα



ἑρδία, seu factum à Beza (δ), varium Græcæ Lingvæ usum haud satis per- (δ) in Rom. spexerunt. Quantò rectius judicavit Pastor, cum ait (ε): γ. & δ. sunt verè 11. 8.

literæ ejusdem organi, & proinde ἐμετάβολοι, id est, inter se permutabiles. (ε) Lexic. N. T.

Quod jam dudum nos docuit Doctissimus Eustathius (ζ): Ἐκ δὲ τῶ τυτθόν, γίνεται καὶ ὁ Τυδεὺς ὀμικρὸς τὸ δέμας, κατὰ συγγένειαν τῶ γ. καὶ τῶ δ. ἢν (ζ) in il. a. δηλοῖ σὺν ἄλλοις μυθεῖσι καὶ τὸ Περμηθεὺς, καὶ Ἐπιμηθεὺς, γινόμενα ἐκ τῶ p. 68. & 117.

Μήδω. Ε τυτθόν fuit etiam Tydeus corpore parvus, propter cognationem lite- rarum γ. & δ. quam cum aliis infinitis indicat etiam Prometheus & Epime- theus ἐ μήδω. Adde Æschyli Scholia in Prometheus (η) & Agamemnonem (η) vers. 85.

(θ). Ac ne quis obstet, dicatve hæc exempla esse Poetarum: en ὕψεις pro ὕ- (θ) vers. 486. δεις, quod in Politicis Aristotelis, aliisq; ejus scriptis passim obviat lectori.

ὕψειαν habet Plutarchus, explicat Hesychius: & ἐξ ὕψενέω ipse Paulus cum Luca multis locis. Περμηθεῖα, περμηθεύομαι apud Herodotum, Thucy- didem, Platonem, alios sæpissimè. Non satisfacit hîc Eustathius, cum in

versum 92. libri VI. Odyssæ (ι): Τὸ δὲ τοῦ ἑρδία πρὸς ἑρδία, δοκεῖ ἐτυμολο- (ι) p. 1553. γία εἶναι τῆς ἐρίθου καὶ συνερίθου. Εἴγαιε καὶ παρὰ τὸ ἑριον ἐρέεθι γίνεσθαι 40.

ἢ ἑριος, ἀλλ' ἔκ ἀπίθανον, ἑριον λέγεσθαι καὶ τὴν πρὸς ἑρδία τοῦ ἑρδία. Celeriter præferentem certamen videtur esse etymologia τῶ ἐρίθου. Etsi enim dictum est, illud à lanâ, ἑριον, formari, non tamen incredibile est, etiam ex hoc sic dici. Non satis certus fuit Eustathius, & quasi dubitavit de tertia

significatione, quæ est Contentionis. Εἰ δὲ, scribit (κ), ἐριθεύειν λέγεται τὸ (κ) l. c. in ἑριθίαι, ζητησόν, εἰπὼς καὶ τοῖς τὸς τίς ἐστὶν ἑριθος. Si autem ἐριθεύ- il. 6. vers. 550.

ειν est pravè contendere, quærendum est, numne & talis alicubi sit ἑριθος.

§. 3. At quid tandem verbis opus est, ubi rerum testimonia adsunt lu- culenta. Ipse Philosophus & nomen & verbum hîc sensu usurpavit quin- to de Republ. capite secundo & tertio. "Ἐτι δὲ ἄλλων τρεῶν, δὲ ἐριθείαν, δὲ ὀλιγωρίαν, ἀπὸ μικρότητα, δὲ ἀνομοιοτήτα. Capite tertio: Μεταβάλλου- σι δὲ αἱ πολιτεῖαι καὶ ἀνευ χάσεως, ἀπὸ τετὰς ἐριθείας, ὡς περ εἰ ἡγεῖα. Ἐξ αἰρετῶν γὰρ ἀπὸ τῶν ἐποίησαν κληρωτὰς, ὅτι ἠεῖντο τὸς ἐριθευομένους.

Quæ cum primùm legissem, planè securus fui: mox ubi in Clarissimorum Virorum, Dion. Lambini & Petri Victorii interpretationes elegantissimas incidi, pene dubius incertusq; reddebar. Alter enim sine cap. II. vertit δὲ ἐριθείαν, propter mercenarium vitæ toleranda genus, & medio cap. III. propter mercenarias operas: alter priori loco, propter coitiones humilium, posteriori, propter coitiones tenuium civium. Quæ cum Apostoli dictis nihil habent commune. Præterea involutum etiam est, nec apparet, quo- modo hæc accommodari possint ad propositum Philosophi. In cō enim est,

est,

est,

est,

est,

est,



est, ut causas aperiat, edisseratq; occasiones, quibus sic moventur afficiunturq; civium animi, ut non metuant amplius perturbare Rempublicam. Sensit hanc difficultatem, nec dissimulat, cum scribit: *Cujus vocis (ἐριθεία) ratio non est penitus obscura: potius non satis apertum est, quomodo hoc, quod tradit, contingat, causaq; hæc res sit mutationis reipublicæ.* Imo cum distingvat has causas Philosophus, atq; alias cum seditione conjunctas esse doceat, alias eâ carere, inq; harum numerum referat τὴν ἐριθείαν, minus adhuc congruere videtur ista interpretatio cum mente Aristotelis; imò cum eâ pugnare. Illæ namq; sordidorum hominum, humiliumq; personarum coalitiones, jam sunt seditiones, aut minimum tales minantur atque pariunt. Quid verò Leonardus Aretinus vel legerit, vel exprimere voluerit, cum *Verecundiam* reddidit pro ἐριθείᾳ, penitus ignoro. Benè Doctiss. Camerarius: *Quid sit ἐριθεία aliud hoc locò, quàm altercatio, rixæ, certamina, non video.* Hoc interim moneo, non quamvis altercationem & rixam hîc denotari, sed *contentionem quandam ambitiosam.* Quod tandem ab ipso animadvertum intelligo, cum de verbo subjicit in cap. III. *Ἐριθεύομενοι nihil aliud sunt hoc locò, quàm verbis & altercando dimicantes de honoribus.* Quippe ambitiosi illi homines ac cupidi honorum, efficiebant suâ ἐριθείᾳ, ut vel soli in Republicâ, vel præ cæteris, ad dignitates summas atq; imperia adspirarent. Itaq; reliqui, cum prensare adeò nollent, ac propterea negligenterentur, hocq; ferrent agrè, hanc operam dederunt, ut sorte non suffragiis electio magistratuum fieret. Glossæ Philoxeni, ἐριθεία, ambitus: Cyrilli, *Ambitus, ἐριθεία: optimè.* Talis ἐριθεία notatur ab Apostolo (λ) in illis, qui invidiâ accensi, impulsiq; æmulatione pravâ, ut cum Paulo de famâ atq; existimatione contenderent, Evangelii doctrinam tradiderunt. Ac quæ de discrimine inter ἔρις & ἐριθείαν, magnus ille Basilus (μ) observavit in brevioribus quæstionibus, bene conveniunt cum dictò alterò (ν) ejusdem Epistolæ: Μηδὲν χε, ἐριθείαν, ἢ κενοδοξίαν. Ita verò distingvit: *Ἐρις μὲν ἐστίν, ὅταν τις ὑπὲρ τῆς μὴ ἐλάττωσαν φανῆται τινὶ σπουδαίᾳ ποιῆντι: Ἐριθεία δὲ, τὸ ἐξ ὧν ποιεῖ τις ἐπιδεικτικῶς ἢ κενοδοξίαν, προκαλεῖται καὶ ἐρεθίζει ἄλλους εἰς τὰ ὁμοία.* Quæ Cornarius vertit: *Lis est, ubi quis, ne alio minor videatur, aliquid facere studet. Contentio autem ex his quæ quis facit, ostentatoris est aut jactanter provocare, & irritare alios ad similia.* Verum latina hæc distinguenda sunt ut græca, Cæterum nos hîc finimus, atq; ei, *Qui est, qui erat, qui futurus, à quò incepimus, ejus munere inceptum feliciter perfecimus, gratias agimus immortales.*

(λ) Philipp.  
I. 16.  
(μ) quæst.  
66.  
(ν) cap. II.  
30.

1. Regina Austri Matth. XII. 42. ex Arabiâ venit.
2. Ut satisfiat Socinianis, nec πρωτότοκος in πρωτόλοκος mutari, nec Metonymia antecedentis pro consequente statui, debet in loc. Coloss. I. 15. Vid. Erasmus & Cameronem.




)  
d  
-  
c  
â  
i,  
i,  
m  
s:  
o.  
i,  
l-  
d  
e  
el  
l-  
-  
is  
i,  
,  
i  
e  
-  
i-  
xv  
E  
is  
e-  
sè  
i-  
e-  
e-  
ec  
l.

05 A 1849

ULB Halle  
003 787 893

3




WONA











Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

D.  
PHILOLOGICA,  
CISMIS  
IS GRÆCÆ  
RIS DICTIO-  
RIBLITIS,  
*mis*  
ORINTH. XIII. 4.  
*περὶ τῆς*  
*αἰ*  
DE  
TOLBERGIO,  
fes. Publico,  
*proposita*  
ENTE  
IPPO ERNESTO,  
nensi.  
MAIORI,  
RISTI M.DC.LXXXI.  
SIGIMUNDI Ziegenbeins.